

quæ obviam veniunt, tollunt verruntque per auras. Pulvis, humus, foliaque vegetabilium emarcida devolant, quæ ad radices alpium colliguntur: unde solum his regionibus pingvissimum, pabulique fertile; simul humo cum aqua superne delata. Nix cumulata vento jacet, et jactam nec sol pluviaeve resolvunt. Nives enim indurat boreas, perpetuasque facit.

Sic exstiterè glacies, nivibus et aqua congelatæ. Nix enim e verticibus montium nec non de planitie jagi cum ventis devecta, nusquam, nisi locis cavatis vel tranquillis considit: quo ad altitudinem montis fere quotannis accumulatur. Mox inductione aquarum superne diffluentium, multaque pluvia hausta, in montem excrevit glaciale.

### §. 21.

Hæc glacierum vasta moles multum caloris undique consumit, brumamque de media æstate facit: unde Ran-

---

e regione normaliter obstitit alteri: ut ventus aquilo a tergo; a fronte afflaverit auster, aut tetris nubibus atrox oriens; ejus tamen cum tonitru minitans dira procella, cum flatu oceani frustra luctatur. Itaque neuter eorum ipsum superat jugum, ejus in fastigio, tamquam in ultimo termino rerum ipsimet congressi, in concursu excitant imbrem. Atque hic, quidquid est plantarum rariorum, legitur: sicut *Campanula uniflora*; *Pedicularis flammea*; *Phaca lapponica* ad Tjåjà Lapon. Tornens. cum multis aliis ad Vivihjaur, Lapon. Lulensis; nec non simili loco ad Mauasjaur Lapon. Pitensis.